

311

309

315

305

320

300

360

260

410

210

et Valentiniano imperatoribus, synodus oecumenica 1200 episcoporum fuit celebrata pro universis nationibus orbis, in qua multae haereses sunt damnatae. Ibi tunc contigit hoc spectabile miraculum, quod fertur. Nam dum haeretici validissimis argumentis contra catholicos se armassent, ita, ut nostri episcopi penitus in responsionibus desicerent, advocatus fuit S. Achatius, qui in duro lapidis arto antro diu conclusus pro dei amore steterat. Ambae ergo partes in hunc sanctum virum compromiserunt et sententiae ejus stare juraverunt, qui ab utrisque petiti sibi dari in scriptis conclusiones, de quibus erat certamen. Acceptis ergo chartis ambabus ad sepulchrum S. Euphemiae accessit easque super corpus posuit petens, ut ipsa sancta martyr ostendere dignaretur, cui parti standum esset. Statim autem sacra virgo schedulam haeticorum longe a se projecit, nostrorum vero schedulam in pectore reconditam servavit (B).

Hanc Chalcedonensem provinciam et omnes circumiacentes terras et totius Asiae Minoris latitudines hodie Turci possident, et terra latissima, conclusa maribus tamquam insula. Habet enim solum ab oriente Capadociam, ab aliis plagiis est maribus cincta, nam a septentrione habet pontum Euxinum, ab occasu Propontidem, a meridie Aegytiun mare, et continet provincias Bithyniam, Phrygiam, Galatiam, Lydiam, Cariam, Pamphiliam et Isauriam, Lyciam et Ciliciam.

Die XXIII., quae erat dominica 26. post festum S. Trinitatis, non erat aliqua aut venti aut maris dispositio pro recessu, sique quievimus illo die, et missis et divini officii orationi institimus et longas horas in isto sterili et inutili portu habuimus. Plures horas deduxi ludendo cum psittacis avibus, quarum multae erant in mea galea. Dominus consul defunctus unum dereliquit valde jocundum, qui omni mane clara et clamosa voce vocavit defunctum, sicut edocta fuerat in Alexandria, sic dicens diserto: miserlo consulo, id est, mi domine consul. Saepe his clamoribus commotus fuit ad fletum filius, patris sui pietatem recolens et praesentiam ejus nobiscum in mortuo corpusculo. Cum illa etiam bestia mirabili, quam dominus decanus Moguntinus emit Alexandriae, quae in camera cellarii erat prope cumbam meam, multum tempus deduxi, erat enim foramen in assere cum terebro factum, et quando bestia sensit, me in cumba esse, misit manulam suam per foramen,

